



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

De duodecim fructibus æternæ vitæ, quibus anima coronabitur, & de  
tribus, quæ requiruntur ad perfectam beatitudinem. Cap. LIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

nimiter portare: qua perficitur illud Euangelicum: *Si quis te percussit in unam maxillam, praebe ei & alteram.*

Nonus fructus dicitur fides, qua quis in Deum credit, per quam Intellectum suum, & omnia, quae sunt eius, Deo subijcit, etiam fidem suam debite bonis operibus exequendo, alioqui factis Deum negaret, nec se fidelem exhiberet. Per fidem etiam fidelitas intelligitur, quae remouet à proximo dolum & fraudem. *Vir autem fidelis multum laudabitur, ut dicitur in Prouerbijs.* Et Ecclesiasticus ait: *Si tibi est seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, & quasi fratrem tuum tracta illum.*

Fides.

Decimus fructus dicitur Modestia, quae modum debitum obseruat in dictis & factis. Nam modestia, secundum Tullium, est scientia rerum illarum, quae aguntur vel dicuntur, loco suo collocandarum. Unde dicitur ad Philippenes. *Modestia uestra nota sit omnibus hominibus, id est, rationabilis conuersatio.* Hanc vult Apostolus notam fieri hominibus, ut eius odore si mortui sunt, viuificentur; si viui, confortentur. Et Seneca: Magni animi est magna contemere, & mediocritas magis velle, quam nimia, eò quod inper sua nocet. Sic segetem nimia frangit vbertas, sic & rami fructuum onere franguntur. Unde dicitur fructus dicitur Continentia, qua se menses abstinet, & appetitum refrinat ab illicitis, dicens cum Psalmist. *Renuit consolari anima mea, memor sui Dei, & delectatus sum.* Hinc Tullius: Si cibis, & potibus partem vteremur, & nos immaculatos custodiremus, fruere mur consortio & affabilitate deorum, id est, Angelorum. *Non enim est digna ponderatio continentis anima.*

Prou. 22.

Ecclel. 33.

Modestia.

Philip. 4.

Duodecimus fructus est Castitas, qua quis rectè utitur licitis, scilicet vxore, & similibus, utpote per quam tam perfecte suppeditatur libido, quod nec vincitur, nec impulsus patitur. De qua Sapiens ait: *O quam pulchra est casta generatio cum charitate.* Castitas enim sicut odor balsami odorifera, quo cadavera condita incorrupta seruantur, sensus, & actus continet, & constringit, statum quendam immortalis gloriae representans. De qua dicit Bernardus: Quid castitate decorius, quae hominem facit Angelum? inter se quidem differunt homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute. Nam si Angeli castitas felicior, hominis tamen fortior esse cognoscitur.

Continen-

tia.

Psal. 76.

Ecclel. 26.

Castitas.

Sapient. 4.

*De duodecim fructibus aeternae vitae, quibus anima coronabitur, & de tribus, quae requiruntur ad perfectam beatitudinem.*

Cap. LIIII.

Mm 2

Veni

- Libanus.** **V**eni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Cantici. 4. Libanus mons est Phoenicis, & interpretatur Hebraice candidatio. Græcè verò thus, quia, secundum Richardum, Libanus mons est, in quo crescunt myrrha, qua corpora incorrupta conferuantur, & thus deuotionis, orationis, & contemplationis, quo Spiritus sustollitur ad diuinum amplexum. Nam omnimoda mortificatio, & intima deuotio reddunt animam candidam & dealbatam, & sustollunt ad intimam Dei familiaritatem. Talem enim animam vocat sponsus, quasi dicat: *Veni*, scilicet fide, spe, & charitate, de candida cogitatione, oratione, contemplatione: vel, de candida affectione, intentione, & operatione: seu, de candida virtutum, donorum, & gratiarum perfectione: vel, de candido statu incipientium, proficientium, & perfectorum. Venire debet, inquam, de monte, ad quem prius accessit, dicens: *Vadam ad montem myrrhae, & ad collem thuris*, mortificatio membra sua, quae sunt super terram, scilicet carnales affectus, proprias voluntates, & quicquid inferius delectare potest supergrediens, & quae sursum sum, insatiabilibus desiderijs quærens, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Porro triplicata hortatio vt veniat, & coronam accipiat, immensitatem amoris & desiderij ad eam habitam insinuat, ac vocantem Trinitatem trina repetitione, denuntiat: & vt trina vocatone Trinitatis fruitionem exprimat. Nam ipsius animae coronatio est, plena & aeterna summa Trinitatis fruitio. Est autem corona stellarum duodecim, vt dicitur in Apocalypsi: quia duodecim sunt fructus ligni vite, id est, Christi, etiam in statu gloriae, sicut duodecim sunt in statu gratiae, de quibus supra dictum est. Et hi duodecim fructus sunt quasi duodecim ferulae, quae ministrabit Iesus electis suis in vita aeterna. De quibus dicit Origenes super Cantica: Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitae animae meae: Et respondens dicit: Altus est fructus, attolle desiderium: Benedictus est, sanctifica obsequium: imputribilis est, purifica affectum: suavis est, lartifica animum. Nunc igitur de fructibus futurae vite, quibus anima fidelis coronabitur intratura in gaudium Domini, prosequamur. Ad quos nimirum sponsa suspirat, cum indicari sibi petijt, ubi cubet sponsus in meridie. Vnde Bernardus: Merito sponsa illa suspirat & inhiat loco pacis simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis. *Lauda o Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti sati.*
- Cant. 4.**  
**Colof. 3.**
- Ibidem.**
- Apoc. 12.**
- Cant. 1.**
- Psal. 147.**

*si faciat te.* Quis non illic vehementer pasci cupiat propter pacem, propter adipem, propter satietatem? Tota habitatio paradisi, dulce pabulum verbum; opulencia multa nimis eternitas. Habemus & nos Verbum, sed in carne: nobis apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti & nudo grano fititur, nos oportet interim contentos esse Sacramenti cortice, carnis suffuro, palea literæ, fidei velamine. Et quantalibet abundantia spiritus pinguescat, non paromino iucunditate sumitur cor, ex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & species, memoria & presentia, eternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma ferui. Feltemus igitur ad locum tutiorem, ad partem suaviorem, ad agrum fertiliorem, ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. *Indica mihi Domine ubi pascas, ubi cubes in meridie*, id est, tota die; Illa enim merides est tota dies, nesciens vesperam, quæ *melior est in atrijs tuis super millia*. *Psal. 83.*  
 O verè merides, plenitudo feruoris & lucis, solisflatio, umbrarum exterminatio, paludum desiccatio, scelerum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies; o lumen meridianum; o vernalis temperies, æstiuæ venustas, autumnalis veritas, & hyemalis quies. Hunc locum tantæ claritatis, pacis & plenitudinis indica mihi: & sicut Paulum duxisti in *tertium calum*, ut oculis suis videret Iesum, ita me digneris introducere, ut te in lumine tuo, & in decore tuo contemplari merear, pascentem vberius, & quiescentem securius. Hic enim nec clara lux, nec plena refectio, nec tuta mansio, donec adimpleas *me læticia cum vultu tuo*. Vultum tuum *Domine requiram*, quia vultus tuus merides est, ubi pascis & cubas. Hæc Bernardus. Veruntamen ad beatitudinem perfectam, duo requiruntur: Primò, requiritur diuini muneris influentia, quæ ad videndum diuinam essentiam, in qua perfecta beatitudo consistit, nullus intellectus creatus naturali sua virtute potest attingere. Nam intellectus Angelicus cum sit creatus, & per consequens finitus & limitatus, sua virtute non attingit, nisi ad ens creatum & finitum; quando magis intellectus humanus, cum in umbra oriatur intelligentiæ, ut dicit Isaac, nõ potest sua virtute, propter suam imbecillitatem, attingere ad claram vilitatem essentiæ diuinæ, in qua *tenebra non sunt vlla*, sed datur ex sola diuina gratia, secundum illud: *Gratia Dei vita æterna*, quæ scilicet, vita consistit in Dei visione. Secundò, requiritur clari luminis resurgentiæ, quia *Deus lucem inhabitat inaccessibilem*, quæ nullus hominum vidit, quia  
 nullus

Cant. 1.

Psal. 83.

2. Cor. 12.

Psal. 11.

Psal. 26.

Beatitudinis

necessaria

duo.

1. Ioan. 1.

Rom. 6.

1. Tim. 6.

nullus ad eam ex se accedit, sed cui datur ex dono Dei: non quidem  
 quod excellens sua claritas intellectum creatum corrumpat, sicut ex-  
 cellentia sensibilem consumpit sensum; sed quia intellectus creatus sua  
 virtute tantā essentiae diuinæ claritate videre non potest: & ideo neces-  
 sariū est ei lumen gloriae, non quidem ex parte diuinæ essentiae, quae  
 secundum se absque alio medio est intelligibilis, sed ex parte nostri in-  
 tellectus. Quia per hoc lumen primò intellectus noster habilitatur, &  
 disponitur ad visionem diuinæ essentiae, sicut diaphanum, vel transpa-  
 rentia quaedam est dispositio corporis, ex qua corpus lumen suscipit.  
 Unde Psalmist. ait: *Amictus lumine sicut vestimento.* Per amictum lumi-  
 nis intelligitur lumen gloriae, quo disponitur intellectus ad videndum  
 Deum per essentiam. Secundo fortificatur, quia virtus naturalis in-  
 tellectus creati adeo debilis est, quod ex se non sufficit ad videndum  
 diuinam essentiam, quamuis essentia diuina maximè sit intelligibi-  
 lis, sicut sol propter excessum sui luminis à noctua, & vespertione vi-  
 deri non potest. Hinc oportet, quod virtus naturalis intellectus crea-  
 ti confortetur lumine gloriae. Pro quo notandum, quod duplex est lu-  
 men creatum in intellectu cuiuslibet beati. Vnum est generale & na-  
 turale ipsi intellectui, quo scilicet in specie suae naturae completur. Sed  
 per hoc lumen intellectus beati nō vident diuinam essentiam. Aliud  
 est lumen supernaturale, scilicet lumen gloriae, quo intellectus diui-  
 na visione beatificatur. Tertio, noster intellectus eleuatur. Nam licet  
 essentia diuina cuiuslibet rei praesens sit, sicut causa praesens est causato,  
 non tamen est praesens cuiuslibet intellectui vt intelligibilis forma, vel  
 sicut obiectum potentiae praesens est, sed in infinitum distat à quolibet  
 intellectu creato: & ideo indiget lumine gloriae, quod non quidem ex  
 virtute propria (cum sit etiā quid creatū) sed ex virtute, quam ex Deo  
 fortitur, intellectum creatum beati Deo coniungit, non secundum ef-  
 se, sed solum secundum intelligere, iuxta illud Psalm. *Et in lumine tuo*  
*vidimus lumen,* id est, *in lumine diuinæ gloriae vidimus lumen diui-*  
*næ essentiae.* Vno namq; ipsius animae ad corpus quoddam exemplū  
 esse videtur illius beatae visionis, qua spiritus vnietur Deo. Sicut enim  
 anima per suam essentiam vnitur corpori, sic essentia diuina per seipsam  
 vnitur intellectui, ita quod in patria diuina essentia est, quae intelli-  
 gitur, & qua intelligitur. Et sicut tota vita corporis anima est, sic beata  
 vita animae Deus est. De qua dicit Augustinus: Beata vita est amor &  
 perfecta notitia summæ Trinitatis. Ipsa enim est summū bonum, in-  
 enarra-

Lumen glo-  
riae tria o-  
peratur.

Psal. 103.

Lumen du-  
plex.

Psal. 35.

enarrabile gaudium, serena lætitia, purum & perfectum, ac infinitum oblectamentum. O cælestis mansio secunda. O patria totum continens quod delectat. O pax super pacem, & indeficiens exultatio totius voluptatis diuinæ. Nam ibi præmium nostrum erit videre Deum, vitæ cum Deo, esse in Deo.

*De quatuor fructibus primis gloriæ, quæ ascribuntur animæ beatæ qui sunt claritas, securitas, suauitas, & tranquillitas. Cap. LV.*

**V**eni de Libano sponsum, veni de Libano, veni, coronaberis. De qua profecto corona dicit Dominus in Apocal. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quæ scilicet in futuro perficitur duodecim fructibus gloriæ, qui sunt duodecim gaudia, & vocantur à Psal. *multa delectationes, cum dicit: Adimplebis me lætitia cū vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in fine,* id est, delectabiles fructus ligni vitæ sunt in dextera tua, id est, gloria sempiterna. De his enim fructibus dicitur in Apocal. *Ostendit mihi Dominus fluium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni &c.* Fluius autem iste currens per medium ciuitatis Hierusalem, significat affluentiam gloriæ cælestis à Deo emanantis in omnes Beatos. Nana fluius à sede, id est, maiestate Dei Patris, & Agni, id est, Christi, procedens, est Spiritus sanctus, & tota substantia charitatis tam gratiæ, quam gloriæ, per quam, & in qua tota substantia summæ Trinitatis deriuatur, & omnibus in gratia & gloria Paradisi existentibus communicatur: quæ nimirum ab Agno, secundam quod homo, meritorie & dispensatiue procedit. Et huius *fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei,* Psal. 45. tam hic militantem per gratiam, quæ ibi triumphantem per gloriam. Hæc est igitur *corona stellarum duodecim,* qua mulier illa mirabilis in Apocal. lypii coronata legitur, quia comprehendit omnem gloriam Paradisi, & cuiuslibet Beati. Vnde Psal. *multa ait: Possisti Domine in capite eius coronam de lapide pretioso,* id est, de lapide topazio, qui vestitur colore omnium lapidum, significans totam gloriam Beatorum, cuius per vinculum charitatis particeps efficitur quilibet Beatus, dicente Gregorio: O felix hereditas, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota, quæ tãto longior extenditur, quanto ad hanc multitudo percipientium dilatatur. Videndum est igitur de quatuor primis fructibus gloriæ, qui ascribuntur animæ beatæ. Quorum

Mm. 4. primus